



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. An voluntate absoluta Anima Christi aliquid voluerit vt implendum
per alios, quod tamen non sit executioni mandatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

prîa virtute vel naturali vel supernaturali. Secundo, Quidquid voluit, tamquam diuinâ virtute adimplendum; potuit vt instrumentum Verbi, siue potuit per eandem virtutem sibi vnitam, & per se applicatam. Ratio est, Quia non decet ipse Sapienciam, vt aliquid velit, quod non possit. Sed est

D V B I V M.

An voluntate absolutâ, Anima Christi aliquid voluerit vt implendum per alios, quod tamen non sit executioni mandatum?

19
Ratio dubitandi.

Ratio dubitandi est, Quia Marci 7. v. 24. dicitur quod ingressus domû, nemine voluit scire; & tamen non potuit latere. Ex quo loco probat Agatho Papa in epist. ad VI. Synodû in Christo fuisse humanam voluntatem; quia quod voluit, non implebatur; cum tamē diuina voluntas semper impleatur. Et confirmatur; Quia Christus volebat homines conuerti, saluari, non peccare &c: quod tamen in multis nō fiebat. Ob has rationes Caietanus admittit Animam Christi aliquid absolutâ voluntate voluisse per alios implendum, quod tamen non est effectum.

Caiet. negat.

2
Absoluta Christi voluntas semper fuit effectum.

Sed longē verius est contrarium. Quod probatur Primò, Nam voluntas humana Christi, erat voluntas Personæ diuinæ: ergo omnino decebat vt semper fieret, quod absolutè vellet. Absurdû enim est, vt id quod Deus absolutè vult, non fiat. Secundo, Christus euidenter videbat, an esset futurum: ergo si certò videbat opus non futurum, valdè imprudenter illud absolutè voluisset: imò

impossibile erat absolutè velle, nisi respectu quorundam mediõrum adhibendorum. Quod enim certò scitur non futurum, censetur tamquam impossibile. Vnde etiam nemo prudens ad hoc conatur. Tertio, Si Christus aliud vellet absolutè vt homo, aliud vt Deus, esset in ipso contrarietas voluntatum, multò magis quam sit in nobis. Quarto, Voluntas absoluta impletur in omnibus Beatis, nihil enim absolutè volunt quod non fiat; vt communiter Doctores; alioqui possent contristari. Ergo multò magis in Christo. Quinto, Christi Anima nihil poterat absolutè velle, nisi quod ei aliquo modo erat possibile, vel virtute propriâ vel diuinâ: ergo id semper fiebat.

Ad Argumentum in contrarium; dicendû est, Christum non voluisse omnino absolutè latere, id est, per omnem potentiam, quam adhibere poterat; sed absolutè quodâ modo; id est, secundum omnem potentiam quam industria humana poterat adhibere. His enim omnibus adhibitis, quæ humana industria prestare poterat ad latendum, non potuit occultari. Colligitur autē inde in Christo fuisse voluntatem humanam: quia tribuitur ei quod aliquid voluerit aliquâ voluntate, adhibendo omnem potentiam propriam illius voluntatis, & non poterit. Quod de voluntate diuinâ nullo modo potest dici: quia quidquid hæc vult adhibendo omnem potentiam sibi propriam, id fit. Ad Confirmationem: Christus non volebat absolutâ voluntate, vt homines conuerterentur, non peccarent: &c. sed conditionatâ, & per modum operantis.

Responso ad rationem dubitandi.

Q V Æ S T I O X I V.

De defectibus Corporis à Christo assumptis.

In Quatuor Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Filius Dei in natura humana assumpserit defectus Corporis?

2
Fuit conueniens.

Respondetur: Conueniens fuit vt Filius Dei assumeret defectus Corporis. Primò, Propter finem Incarnationis, venit enim in mundum ut pro nobis satisfaceret: satisfactio autem fit per opera pœnalia. Ergo Corpus ipsius debebat esse capax pœnarum. Rursus; Satisfactio pro altero, requirit vt pœnas peccato alterius debeat, in te suscipias: atqui defectus corporis, vt fames, sitis, fatigatio, mors, sunt pœnæ peccati originalis: ergo Christus debebat hos defectus in se suscipere. Secundo, Ad ostendendum se esse verum hominem. Tertio, Ad præbendum exemplum Patientiæ. Vide D. Thomam.

Notandum est in Responsione Ad primu, vbi dicitur, Satisfactionem non esse efficacem, nisi ex charitate procedat: id intelligendum esse secundum legem ordinariam; vt patet ex suprâ dictis.

ARTICVLVS II.

Vtrum Christus assumpserit necessitatem subiaccendi his defectibus?

Respondetur; Christus non coactionis necessitate his defectibus subiacuit, atque ad hoc nec absolutâ necessitate: sed tantum eâ necessitate, quæ provenit ratione materiæ seu corporis. Ratio est; Quia Christus voluntariè hos defectus assumpsit: si enim voluisset, facilè potuisset eos impedire virtute suâ diuinâ, quâ pro arbitrio utebatur. Corpus tamen Christi tale erat, vt ipsum per se & solitariè consideratum, necessariò his defectibus subiaceret, qui nullis naturæ viribus poterant impediri.

2
Necessitas ratione materiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum Christus contraxerit hos defectus?

Respondetur; Non contraxit; sed voluntariè hos defectus corporis suscepit. Ratio est; quia huiusmodi defectus non cõtrahuntur nisi ex peccato. Ad Rom. 5. v. 12. Per vnum hominem introiit peccatum in mundum, & per peccatum mors.

3
Hos defectus non contraxit voluntariè assumptis.

Aduerter;